



F. BALTHASARIS PAGLIA SICVLI CALATAIERONENSIS

Ordinis Min. S. Franciſci Conuentualium


PARAPHRASIS EPICA IN PSALMOS, ET CANTICA

Ad Laudes, Veſperas, & Completorium.

Admodum Reuer. Patri Magiſtro

BALTHASARI MELATIO A NARO

Eiuſdem Ord. Generali Procuratori, &c.



Bononiæ, Typis Hæredis de Sartis 1687.


Superiorum permiſſu.


IO: BAPTISTA CAPALLI
Decanus Cathed. Arretinæ,
& Protonotar. Apostol.

Adm. Reuerendo Patri

P. MAG. BALTHASARI
MELATIO A NARO
ART. ET SAC. THEOL. DOCT.


In Rom. Archigymnasio Sacræ Historiæ publ. Interpreti,



Exam. Synod. olim Prouinciæ Siciliæ Ministro Prouinciali,

Nunc totius Ordinis Min. S. Francisci Conu. Procuratori Generali, &c.

Fr. Balthasar Paglia eiusdem Ordinis.





SAtagat plerumque scriptorum cohors, & multa sit pro deligendo libris Patrono. post lustrata Heliconis iuga, frequentet aulas, vt sibi e montibus reduci tale comparet Nu-

men, cuius, ope Musarum, aucupetur tutelam, & voluminis pretio gratiam lucrifaciat. glorior in eadem non esse naui, Pater Adm. Reuerende; nihil enim in Mæcenatis delectu mihi hæsitandum fuit, vbi primùm ad huiusce opellæ coronidem ventum est. suapte tibi se obtulit; Auctorisq; votum edocta ad tui sideris iubar, inde lumen fœneratura, illico se recepit: gnara siquidem quantæ moli subiiciat debitorum; cum nempe tui muneris sint vel meus ad claustra ingressus, & qualiscunq; in re litteraria profectus, quidni tantillæ oblationis sese vt originem iactitent? Confert & libelli materies sacra, Scripturis cognata, metricè exposita; proinde sacris addicto, in Romæ Archigymnasio

ſio earumdem Interpreti, inclyto vbique Muſagetæ potiſſimùm nuncupanda. nec pedes effero, aut a propoſito reuocor, cùm in verbornm ſyntagmate Dauidicæ ſcriptionis pediſſequo Paſtoris ruditas potiùs, quam Regis aſpiciatur maieſtas; ſic enim Pſalmodiæ collata Paraphraſis hæc illius forſitan lumini propria caligine decori erit, & incremento. An non clarior ſol coram vmbris, iuxta tenebras lux? ob id neque opus tibi iniucundum penitus, aut inutile; vtpote quod mentis demiſſioni, ac Seraphicæ reuera humilitati concinnius. Quid improbabunt, rogo, breuibus te paginis inſcribenti ſanniones, atq; muſſantes plerique, quos nunquam deeſſe compertum eſt; emunctæ fortaſſe

ſe naris, at frontis quidem rugoſæ, & ſupercilij, vt aiunt, Catoniani? ſtatimne pro doni exilitate oſcitabunt, ac Philauſiæ mihi notam impingent? ita mehercle. ſpero tamen tui beneficio me vtrinque vel Ariſtarcho ſatisfacturum; ſi enim donantis animum introſpiciens, munus hoc, vt gratitudinis teſſeram acceptabis, extemplo cenſuris libera mens Auctoris probabitur; quin & naſutorum plebs in meam adducta ſententiam quo iure, quaque iniuria niſus tenues æqui, bonique faciet. Hìc meum eſſet in tuas eundo laudes pauliſper calamo fræna laxare, quod vtique quàm libenter præſtarem, ni modeſtiam conſulens pudor hunc ardorem compeſceret. Virtus nil indiga laudis ſui-

met

met ipſius eſt præco. abundè ſatis loquuntur Ordinis exedræ, nec Roſtris vox deeſt. Scimus adhuc in triennali Siciliæ Præfectura qualem te geſſeris. Fugitne aliquem qua polleas in dicendo vi, in agendo dexteritate? quo pacto nuper iniunctum ſubeas miniſterium, & fortunæ nondum defatigatæ noua, congeſtis vſque meritis, ſuppedites robora? At Heros eloquio maior aptiùs reticentia commendatur. Hoc interim obſeruantiæ ſpecimen tibi quoquomodo exhibendum, cómitate, qua ſoles, quoque vouetur animo admittas velim; quod ſi tuo non dedigneris obtutu (piget enim quandoq; curis ſolidioribus ſuperefse) lucem mihi non vltimam affulſiſse, omneque tuliſse punctum

planè arbitrabor. Vale, tuaque Deus, vti par eſt, ac te in primis fortunet ad ſui gloriam, & Ordinis incrementum.

Bononiæ 13. Kal. Aprilis 1687.

AD

AD LECTOREM.




Araphrasim hanc supra nonnullos ex Psalmis tibi cum aliquot poematibus plures abhinc annos tradendam, cogente aliter fato, solam nunc exhibemus, Amice Lector. Disciplinæ seueritas, ad quam post Permessi latices oretenus delibatos animum vertere opus fuit, ne cœptis colophonem addiderim, sese obicem præbuit. Cum verò, seriis quadam ex parte intermißis, Bononiam aliquantulum feriandus venissem, regio

Musarum obstetrix poeticam venam iam desuetam, diuque residem quodammodo lacessiuit. quocirca & Amicorum votis, & mihimetipsi vtcunque satisfacturus in absoluendo vno poemate totus fui. res contigisset profectò, ni vehemens obstitisset familiarium vis, quæ editionem hanc in longum protrahi neutiquam passa, egit, vt enixæ mentis abortum quantocius ab vmbris prodire sinerem, lucemq; combibere. exit ille alios iam paratos ingenij fœtus anteuolans; exit, inquam, vix lima remorsus, ac penè expolitus pumice, proinde, ni fallimur, tuæ solùm beneuolentiæ commendandus. in eo vltra breues Auctoris vires occurret nihil. Musarum fabellas (ingeniosa Poetarum figmenta) in quibus totius ferè poeseos venustas potissimum

mum sita est, consultò hic prætereundas proposui; quæ etenim, amabo te, Golgothæ cum Parnasso, rei sacræ cum prophanis conuentio? in opellæ autem synthesi non aliis vti libuit versibus, nisi Epicis; vtpote qui cæteris carminum speciebus grauitate anteferendi Psalmorum decori, ac maiestati concinniores viderentur: quodsi in metrorum delectu sola Paraphrastæ voluntas pro lege est, planè cum Epicum arrideat magis, nihil est, quod illius nobis vsu interdicat. ad vltimum ne ignores velim in Psalmorum argumentis ad probatissimam Lyrani expositionem quoad omnia me referre, & ex Scripturæ sensibus rarò alios, quam sæpissime litteralem amplecti: Siquid interim hic offenderis boni, fac, vt ad Dei, ad Psalmographi

laudem

laudem cedat; errata verò mihi tantummodo adſcribenda gloriabor mehercle, ſi tua litura expunges, mendiſque humanitate des veniam. Itaque labor tenuis hac ſaltem non tenui gloria compenſabitur. Vale.



Reuerendo Patri Collegiali

BALTHASARI PAGLIA

Siculo Ordinis Minorum Conuentualium Sancti Francisci.

Quòd nonnullos Psalmos ad carmen hexametrum deduxerit.


SIcelides Musæ, Ausonias misistis ad Oras,
Felsina quem Vatum gaudet habere Choro.
Quisque Viri ingenium hic vexat, quia carmine Vatē
Expetit in laudes quisque venire suas.
Sic Diuos, geminăq; Themin, Phœbūq; medentē,
Martem, & Vestales, Teque, Hymenæe, canit.
Nunc paulò maiora canit, Psalteria præstò
Materià sacris versibus esse facit.
Interpres fidus Psalmos ad Carmina transfert,
Quod latet arcanis Sensibus, ille docet.
Talibus Officium Psalmis noctesq; diesque
Dulce, & iucundum quàm recitare foret!
Quæ fuerat Lyricis celeberrima Vatibus olim,
Nunc Dauida tulit Sicelis Ora suum.

Bonauenturæ de Rubeis Bonon.

Reuerendo Patri Collegiali

BALTHASARI PAGLIA

Ordinis Min. Conu.




Alluditur ad flumen, ac ſidus Stemmatis.

DISTICHON.

S*Temmate Cyrrha fluit, lucet quoque Pegaſus: æquè*
Te gratum Muſis terra, poluſq; probant.

D. Franciſci Bonomij Bononien.



Fa-

Facultas Reuerendiſſimi Patris Generalis.

CVm opus, cui titulus [*Paraphraſis Epica in Pſalmos, & Cantica ad Laudes, Veſperas, & Completorium*] a Patre Collegiali Balthaſare Paglia de Calataierone noſtri Ordinis Min. Sancti Franciſci Conuentualium Sacerdote elaboratum duo ex noſtris Theologis diligenter examinauerint, nihilque in eo, quod orthodoxæ fidei, morumque honeſtati diſſonum ſit, repererint, licentiam eidem facimus, vt illud ſeruatis ſeruandis Typis dare queat.

In fidem. Dat. Auerſæ 3 Maij, 1687.

F. Antonius de Auerſa Miniſt. Generalis.


Locus ✠ Sigilli.

F. Ludouicus Solarius de Taurino
Secret. & Aſſiſt. Ordinis.

PARAPHRASIS
EPICA
IN
SEPTEM PSALMOS
Ad Laudes, & in Cantica

Benedicite omnia opera Domini Domino.
Dan. 3.

Benedictus Dominus Deus Israel.
Luc. 1.




PRÆFATIO.



Ox vbi paulatim toto rarescere mundo
Incipit, & rorans, croceumque exosa cubile
Lumina semotis repetit Pallantias vmbris;
Illico plebs auium Zephyris innixa, rubenti
Gratatur Dominæ, matutinoque tumultu
Sollicitat clausam nemorali in culmine vocem.
Hìc celata rubo, queis otia fallat, amœnos
Orditur Philomela modos; hinc garrula questus
Congeminat Progne, numerisque indulget Achantis.

Mille canunt volucres; variæ diſcrimina linguæ
Sylua procul recinit. quis nunc tibi pignus honoris,
Cœlicolum Rector, meritaſque rependere grates
Negligat? en turmæ ſectàns exempla volantis
Organa Ieſsides animat, fulchroque relicto
Noctis in abſceſſu modulis pia nabla maritat.
Tu Vati es carmen, mentem qui, luminis inſtar,
Fœcundas radio, qui cæcas hinc procul vmbras
Criminis eiiciens fidei nos luce ſerenas.
Siqua patet rutilans auroræ in fronte venuſtas,
Muneris illa tui eſt: almi ſpiracula vultus
Et radiis Phœbum, ſtellaſq; ardore coronant.
Si nùnc ales ouat, ſi dulcè comantibus aura
Ludit in arboribus, vernuſque ſuſurrat Iapyx;
Te petit hoc murmur; Patrem officioſa tuentur
Pignora, Factoriſque manus opus omne ſalutat.

Nos modò, dum toti lux prima refunditur
orbi,
Surgentes aciem cœlo referamus apertam:
Ora Deo psallant: metris placabile Numen
Audiat vnanimi ferientes astra canore.
En vocat ad Superos Rex idem, & carminis
Auctor,
Plumigerũque suis inuitat plausibus agmen.
Laus ergo & volucrum, pennisque aduecta
Fauonj
Ceu pretium sese vitæ pro munere dedat:
Hanc Regnator habe; quæuis damus orsa canentes
Excipe: cognatæ subeant tua pectora voces.
Aptiùs infirmæ laudem contexere linguæ
Non datur: hanc offert: siquando arridet,
adusque
Præstabit seram producere carmina noctem.





IN PSALMVM XCII.

In prima ex tribus partibus huius Psalmi sermo est de principio, quando Christus & cœli, & terræ dominium est adeptus. secundò variæ ponuntur impugnationes, & pressuræ, quæ Regno Christi acciderunt. describitur tandem confirmatio eiusdem Regni, & exaltatio Ecclesiæ militantis.

1 DOminus regnauit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se.
2 Etenim firmauit orbem terræ: qui non commouebitur.
3 Parata sedes tua ex tunc: a sæculo tu es.

PA-



PARAPHRASIS.

1 *Altitonans dudum cœli regione potitus*
Imperij iam frana tulit, geminumque per orbem
Viribus eximiis, ac maiestate refulsit.
2 *Quippe solum vult stare diu, nulloque mouendam*
Tempore disposuit molem, ne libera, nutans
Audeat explosis aliò se vertere claustris.
3 *Tunc priùs & gemmis radians, & diuite clausus*
Fornice sedis apex, soliumq; insigne paratum est.
Nulla dies vnquam, neu res te, Conditor, vlla
Non viuente fuit; quin irreuocabilis æui
Orbita communi congaudet origine tecum.

4 Eleuauerunt flumina Domine: eleuaue-
runt flumina vocem ſuam.
5 Eleuauerunt flumina fluctus ſuos: a voci-
bus aquarum multarum.
6 Mirabiles elationes maris: mirabilis in al-
tis Dominus.
7 Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis:
domum tuam decet ſanctitudo Domi-
ne in longitudinem dierum.



4 *Et nos posse loqui resono torrentia signo,*
Alme Parens, vocale fretum, fluuiosque loquentes
(Quando haec pracipiti fregere silentia motu)
Credidimus. 5 *fluuialis aquæ circumsona vocem*
Lingua dedit raptim, cum prætereuntia ripas
Flumina iactato tetigerunt nubila fluctu.
6 *Insuper, elatis aliena ad culmina spumis,*
Vel pater Oceanus pleno sese extulit alueo,
Ætheraque excelsum, contermina regna, petiuit:
At vaga semotis ardent vbi sidera terris,
Mira quidem Regnator agit; spectabile toti
Condit opus mundo. 7 *manet, æternùmque manebit*
Corda virum quodcunque priùs docuere Prophetæ.
Dum tamen instabili cœlum vertigine longos
Metitur, libratque dies, Moderator Olympi,
Emeritos augusta domus tibi seruat honores.

IN PSALMVM XCIX.

Proponitur in hoc Pſalmo laus Dei, ad quam primò generaliter omnes inducimur. ſecundò Iudaicus populus ſpecialiter offerens inuitatur. conuocatur denique ſingulariter Miniſtrorum omnium cœtus.

1 IVbilate Deo omnis terra: ſeruite Domino in lætitia.

2 Introite in conſpectu eius: in exultatione.

3 Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus: ipſe fecit nos, & non ipſi nos.

4 Populus eius, & oues paſcuæ eius introite

PA-

PARAPHRASIS.

1 *LÆta Deo, nullisque parent obnubila curis*
Pectora plaudentes famuli: procul arceat umbram
Tristitiæ, patula qui terræ in mole vagatur.
2 *Vt quoties subeunda domus, visenda Tonantis*
Est facies, residem stimulent solatia gressum;
3 *Quodque perennis honos alto colit æthere Numen,*
Esse Deum, Dominumque scias, cui sponte creandi
Quas operum libuit species innata potestas.
Nos tamen excelso Factoris ab ordine primi
Excludit natura minor; finitaque virtus,
Ne res ex nihilo faciant, mortalibus obstat.
4 *Te modò, lecta cohors, humilis cui Pastor ouilis*

portas eius in confessione : atria eius in
hymnis confitemini illi .

5 Laudate nomen eius, quoniam suauis est
Dominus , in æternum misericordia
eius: & vsque in generationem, & ge-
nerationem veritas eius.



Tam

Tam fauet, excipiant modulantem hæc limina
valuæ;
Dum chorus indulgens numeris, atque atria
mulcens
Cantibus, vlteriùs prope ſit Regnantis ad aulam.
5 *Hic vox dulcè ſonet, Regique accepta ſu-*
perno
Alternæ pretium laudis pia guttura ſoluant;
Mitis enim iubilo noſtrum perfundere pectus
Omnipotens, verax delere piamina gaudet,
Sollicitis rapidum fugiet dum paſsibus æuum.



IN PSALMVM LXII.

Principiò gaudet Propheta, & in consolationibus, quas a Domino recipit, gloriatur. deinde cœli protectionem expertus aduersarijs exterminium, & deiectionem prædicit. vltimò cum omnibus in Deo sperantibus de Redemptoris laudibus collætatur.

1 DEus Deus meus: ad te de luce vigilo.

2 Sitiuit in te anima mea: quàm multipliciter tibi caro mea.

3 In terra deserta, & inuia, & inaquosa sic in sancto apparui tibi: vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.

4 Quoniam melior est misericordia tua super vitas: labia mea laudabunt te.

5 Sic benedicam te in vita mea: & in nomine tuo leuabo manus meas.

6 Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea: & labiis exultationis laudabit os meum.

PA-

PARAPHRASIS.

1 *NOndum clara dies refugas vbi manè per vndas*
Nutat, inornati fugientem ſtrata cubilis
Protinus ad laudes me ſuſcitat ætheris Auctor.
2 *Te, Pater Omnipotens, Diuumque, hominumque voluptas,*
Spiritus, ac noſtræ ſitiunt præcordia carnis;
3 *Quàque iter ambiguum veſtigia diſtrahit, & quà*
Nequicquam vndantes expectant gramina riuos,
Hic tandem quæſita diu ſpectacula vidi:
Nam priùs æterni lumen ſpecularier oris
Cura fuit, tantique iubar dignoſcere vultus.
4 *At modò te fari, & numeroſis dicere Pſalmis*
Mens inhiat, cœlorum Opifex, miſeratio cuius
Longiùs exigua præſtat ſolamina vitæ.
5 *Sic mea dum refluus per viſcera ſanguis inundat,*
Vitali dum luce fruor, tua nomina tollens
Carminibus iunctas conuertam ad ſidera palmas.
6 *Qualiter accepta veteres pinguedine vires*
Innouat exhauſtum corpus, ſic robore creſcens

7 Sic

7 Sic memor fui tui ſuper ſtratum meum, in matutinis meditabor in te: quia fuiſti adiutor meus.

8 Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhæſit anima mea poſt te: me ſuſcepit dextera tua.

9 Ipſi verò in vanum quæſierunt animã meam: introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt.

10 Rex verò lætabitur in Deo, laudabuntur omnes, qui iurant in eo: quia obſtructum eſt os loquentium iniqua.



Fla-

Flamen adorato geminabit cantica Regi.

7 *Cumq. meo ſuberunt nocturna cubilia tergo,*
Iamq. ſuas aurora vigil patefecerit ortus,
Mira canam; te voce, Deus, te mente volutans
Laxantemq. animos ægro, & noua ſcuta parantẽ.

8 *Hinc annos plaudendo trahã, celſiq. fauoris*
Amne fruar poſthac; nam tu me deſuper alas
Tendis, & vmbrai facilem concedis amictum;
Atq. vbi curarum laqueis, ceu compede, vinctus
Æthereæ ſcrutator opis tibi ſpiritus hæſit,
Cœlica iam profugos repetiuit dextra vigores.

9 *Quælibet ancipiti nocuere pericula vitæ,*
Hoſtileſq. minas, & vulgi opprobria ventus
Suſtulit, ac volucres euanuit ira per auras.
Aſt ipſos dolor heu quantus tellure ſub ima,
Sæuities heu quanta manet, cum lucis egentes
Inuenient cryptas, atq; antra inuiſa ſubibunt!
Tunc caro ſciſſa gemet, cuius pars altera vulpes,
Altera pars auidum ſatiabit ſanguinis enſem.

10 *Rex tamen, ac Regi ſiquis famulatur Olympi*
Feſta gerent, multoq. trahent de gutture laudes;
Vox etenim ſiluit mordax, preſſura loquelæ
Conticuit, raucæ fecere ſilentia linguæ.

IN PSALMVM LXVI.

Clementiam summi Patris implorat hic Psalmicen, precesq. addit, vt Iudææ campos fertilitate perfundat. mox vt pro illius obtentu diuinæ prouidentiæ grates agant, & Triadem insimul benedicant, populos omnes inuitat.

1 DEus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.
2 Vt cognoscamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus salutare tuum.
3 Confiteantur tibi populi, Deus: confiteantur tibi populi omnes.
4 Lætentur, & exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate: & gentes in terra dirigis.
5 Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum suum.
6 Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ.

PARAPHRASIS.

1 IAm Deus electi commissa piacula cœtus
Præteriens, nos luce beet, crimenq. perosis
Cordibus augusti præfulgeat oris imago.
2 Vt radios mens nacta duces, per opaca viarũ
Æthereum dignoscat iter; mundiq. vagantem
Per freta non lateat veræ cynosura salutis. (stas,
3 Te, Pater Indigetum, rerũ intemerata pote-
Turba frequens, genus omne colat; 4 nubesque dolorum
Excutiens, alacri præcordia luce serenet;
Iuris enim vindex, ac seruantissimus æqui
Arbiter es; quo fusa cohors, peregrinaq. pubes
Tramitis in medio vestigia tuta docetur. [stas;
5 Te genus omne colat, rerum intemerata pote-
Exultet gens aucta bonis, quam prodiga terræ
Ditauit facies, atq. vbere pauit opimo.
6 At modò quod trinũ populi, simplexq. fatentur
Numen, inexhausto dignetur ab amne salutis
Nos super vndantes donorum effundere riuos;
Atq. vbi consurgens lustrat Gangetica Phœbus
Littora, Tartessiq. cadens se proluit vndis,
Incutiat mundo gelidum sua dextra pauorem.

IN CANTICVM Dan. 3.

Per Canticum hoc, quod, trium Puerorum, inſcribitur, creaturæ omnes tam cœleſtes, quàm ſublunares ad benedicendum Domino conuocantur.

1 BEnedicite omnia opera Domini Domino: laudate, & ſuperexaltate eum in ſecula.
2 Benedicite Angeli Domini Domino: benedicite cœli Domino.
3 Benedicite aquæ omnes, quæ ſuper cœlos ſunt, Domino: benedicite omnes virtutes Domini Domino.
4 Benedicite Sol, & Luna Domino: benedicite ſtellæ cœli Domino.
5 Benedicite omnis imber, & ros Domino: benedicite omnes ſpiritus Dei Domino.
6 Benedicite ignis, & æſtus Domino: benedicite frigus, & æſtus Domino.

PARAPHRASIS.

1 PRotinus æthereo laudum pia munera Regi
Pandite: nunc operũ series, atq; integer ordo
Innumeris recinenda canant præconia seclis.
2 Te fari, & sacris certatim assistere cœptis
Spirituum genus omne licet, quorum agmina latè
Officio superesse pari iubet alta voluntas.
Dum tamen Angelicæ coeunt ad cantica turmæ,
Indulgentq. sono, puros imitata Ministros
Sit comes astrorum regio; placitura Tonanti
Cœlorum intersit moles; 3 quæq. vnda polarem
Transgreditur metam, & claro supereminet axi;
Virtutesq. Dei. 4 Superis date metra vicissim
Phœbe diem referens, nocturnæq. orbita lucis,
Stellarumq. cohors. 5 celebrent quæ manè sereno
Roscidus auroræ sudat stillamina vultus;
Rumor item pluuialis aquæ, Dominoq. ministrãs
Spiritus, 6 ac gelidæ vis ignea subdita Lunæ:
Æstus inardescens, & iuncte caloribus algor.

7 Benedicite rores, & pruina Domino : benedicite gelu, & frigus Domino.

8 Benedicite glacies, & niues Domino : benedicite noctes, & dies Domino.

9 Benedicite lux, & tenebræ Domino: benedicite fulgura, & nubes Domino.

10 Benedicat terra Dominum : laudet, & ſuperexaltet eum in ſecula.

11 Benedicite montes, & colles Domino: benedicite vniuerſa germinantia in terra Domino.

12 Benedicite fontes Domino: benedicite maria, & flumina Domino.

7 *Tuq. pruinosis oriens de nubibus unda*
Perpetuùm gratare Deo: dein carminis auctrix
Gutta sonet, laxis pariunt quam nubila venis,
Vt frondes vegetet. sit commendabile Numen
Torpentiq. gelu, necnon tibi, frigoris horror.

8 *Candida nix, glacies, liquidum quæ contrahis imbrem,*
Cedentes noctiq. dies, noctesque diei
Vos canite, & magni monumentum afferte decoris.

9 *Nec minùs omne iubar cœli super axe renidens*
Plaudat, & absumpta redeuntes luce tenebræ,
Horrificum fulgur, nebularumq. agmen opacum.

10 *Alma parens, tenui quæ niteris aere, tellus*
Concine, donec eris: Superum clementia iugi
Sit scopus obsequio. 11 *densisq. vaporibus alpes*
Claudentes immane caput, nemorumq. recessus,
Et quota per virides exurgunt germina saltus
Congeminent laudes, seseq. canentibus addant.

12 *Intersit conuentus aquæ; fons gurgite puro*
Numina commendet: fluuialibus edita lymphis
Cantio prætereat nubes: det carmen Olympo
Fluctus, & in tota vox personet Amphitrite.

13 Benedicite cete,& omnia quæ mouentur in aquis Domino: benedicite omnes volucres cœli Domino.

14 Benedicite omnes beſtiæ, & pecora Domino: benedicite filij hominum Domino.

15 Benedicat Iſrael Dominum: laudet, & ſuperexaltet eum in ſecula.

16 Benedicite Sacerdotes Domini Domino: benedicite ſerui Domini Domino.

13 O quicunque leues agitatis per vada cursus
Fluminis, Oceaniue greges; immane profundi,
Riuorumque exile pecus; si gutture presso
Hactenus incoluistis aquas; en tempus ademptæ
Soluere vocis iter: vobisque, immania cete,
Fas & gratari Superis, & nectere laudum
Stemmata. ne desis librans hucusq; volatum
Arua replens numeris gens picturata volucrum:
Si dulces aperire modos, & amabile murmur
Mos tibi, si manè in syluis ad carmina multa es;
Nunc modulos profer: cœlorum ab sede Creator
Te probet alternas geminantem gutture laudes.

14 Plausus vbiq. sonet: Factoris gloria primi
Prodeat e specubus; pecorumque, hominumque propago
Numinis obsequio, Superumq. incumbat honori.

15 Tu genus Isacidum, excelsi Genitoris origo,
Labile festinis curret dum passibus æuum,
Adsit ouans, & serta polo contexat honoris.


16 Mystarū cœtus, queis obtegit infula crines,
Regis ad officium sit iugiter, & decus astris
Immortale ferat; cuius documenta secutis
Indigetum famulis encomia fundere prosit.

17 Benedicite ſpiritus, & animæ iuſtorum Domino: benedicite ſancti, & humiles corde Domino.

18 Benedicite Anania, Azaria, & Miſael Domino: laudate, & ſuperexaltate eum in ſecula.

19 Benedicamus Patrem, & Filium cum ſancto Spiritu: laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſecula.

20 Benedictus es Domine in firmamento cœli: laudabilis, & glorioſus, & ſuperexaltatus in ſecula.



PA-

17 *Concinat & nulla culparum ærugine tactus*
Iustorum numerus, cui lex, & candida cordi
Relligio; impositos claudens qui pectore ritus
Celsa fugit, cunctisq. videri inglorius ardet.

18 *Nunc agitè o, celeri dum non reparabile tempus*
It pede, cognatas Domino persoluite grates
Vos, illæsa trias, pueri, quam corpore toto
Incolumem tractare rogos, tutèq. moueri
Obstupuit fornax, & ouanti incedere gressu.

19 *Sic Nato æquæuus Genitor, Genitusq. Parenti,*
Nec dispar vtriq. Deus sit nobile cunctis
Carmen, inexhaustas quærent dum secula metas.

20 *At, Sator omnipotens, illic te gloria maior,*
Ac laudis monumenta manent, vbi conditor idem
Sideribus conuexa poli radiantibus ornas.



IN PSALMVM CXLVIII.

Creaturarum omnium tam cœleſtium, quàm ſublunarium cœtus ad Conditoris laudem per hunc Pſalmum inducitur; & exinde inuitationis huius adiicitur ratio, vbi de earum creatione, & conſeruatione fit ſermo.

1 LAudate Dominum de cœlis: laudate eum in excelſis.

2 Laudate eum omnes Angeli eius: laudate eum omnes virtutes eius.

3 Laudate eum Sol, & Luna: laudate eum omnes ſtellæ, & lumen.

4 Laudate eum cœli cœlorum, & aquæ omnes, quæ ſuper cœlos ſunt: laudent nomen Domini.

5 Quia ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt.

PA-

PARAPHRASIS.

1 *EIa Deo gratare, olli ſuper ætheris axe*
Regnanti proferto decus gens quæque polorum
Incola. 2 *virtutum ſeries, Dominiq. poteſtas,*
Angelicis immixta choris exordia promant.
3 *Sol pater emenſis vicibus ſuper orbe renidens,*
Luna per alternos varians tua corpora menſes,
Luminaque, fixumque polis, aut mobile ſidus
Plaudite. 4 *gyrus item lymphæ, cui ſplendida cœli*
Ora ſubeſt, vitreæ moles contermina ſphæræ,
Sidereæ compago domus date carmina Regi.
5 *Huius enim nutu (proh quanta in voce facultas!)*
Prodiit omne genus; Soliſque ad lumina tetro
Vmbrarum ex gremio rerum pertranſiit ordo.
Vix Patris ætherei magnum per inane loquela
Intonuit, præſens vix edidit orſa voluntas;
Protinus omnigeno repleri ab ſemine mundus
Cœpit, & hac ſpecie ſeſe induit orbis vterque;

6 Sta-

6 Statuit ea in æternum, & in seculum seculi: præceptum posuit, & non præteribit.

7 Laudate Dominum de terra: dracones, & omnes abyssi.

8 Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum: quæ faciunt verbum eius.

9 Montes, & omnes colles: ligna fructifera, & omnes cedri.

10 Bestiæ, & vniuersa pecora: serpentes, & volucres pennatæ.

11 Reges terræ, & omnes populi: principes, & omnes iudices terræ.

6 Quem

6 *Quem Faber, æquali donec vice fax minor, & Sol*
Algenti, & calida lustrabunt lampade terram,
Stare iubet; solidisq. locans æterna columnis
Dogmata, seruandos aperit per secula ritus.
Nec citò præteriens aliò feret hæc rata ventus;
Durat adhuc legale iubar: pia fœdera cœli
Intemerata vigent, læuiq. immunia casus.
7 *Dum tamen hæc sursum resonant, & cantus Olympum*
Transgreditur, tellure sonans respondeat Echo;
Te cryptæ, iunctiq. canant, Deus alme, dracones.
8 *Turbo frequens, quem sæpe minax portendit Orion,*
Iussibus Indigetum parens, nix insuper adsit,
Nec distet glacies, neu copia grandinis, & quæ
Ardentem cœlo sacrent incendia linguam.
9 *Montis apex, spatiumq. vires telluris apricæ*
Gratum offerte melos: ramus comitetur ouantes
Cedrinus, atque auidos ditantia ligna colonos.
10 *Brutorũ, pecorũq. manũ, genus omne volantũ,*
Quæq. per incultum serpunt animalia gramen
Fas erit arguto conuerti ad sidera plausu.
11 *Nec minus heroum proceres, atq. arbiter æqui*

12 Iuuenes, & virgines, senes cum iunioribus laudent nomen Domini: quia exaltatum est nomen eius solius.

13 Confessio eius super cœlum, & terram: & exaltauit cornu populi sui.

14 Hymnus omnibus sanctis eius: filijs Israel, populo appropinquanti sibi.



Laudibus interſint, populiq. exercitus, & qui
Sceptra regunt, lataſq. orbis moderantur habenas.
12 *Tum vittis ornata cohors, exoſa iugalem*
Concubitum, ſenioq. virens admixta iuuentus
Festa gerant: quodcunq. caput, gens qualibet vnà
Conueniens, nomen canat indelebile, cuius
Claudere ſepoſiti nequeunt encomia fines.
13 *Sic Regnantis honos, pleno iam cardine mundi,*
Nubila prætereat; geminum ſpatiata per orbem
Fama nec vnius lateat confinia metæ.
Nam Patris imperio ter lux reſerata fideli
Affulſit populo; generiq. ad ſidera verſo
Tempora felici redimiuit adorea fastu.
14 *Hinc bona Thariadæ proles, accepta Tonanti*
Natio, iustorum numerus conſortia laudum
Excipiat, ſummiq. apicem contingat Olympi.



IN PSALMVM CXLIX.

Psalmi huius duæ sunt partes. primò communiter plebs fidelium ad laudem Domini conuocatur. mox de extrema die fit mentio, quando Sanctorum numerus palmam de oppressoribus referet per sententiam Iudicis, à quo, vt pœnam reprobi, sic electi mercedem recipient.

1 CAntate Domino canticum nouum: laus eius in ecclesia sanctorum.

2 Lætetur Israel in eo, qui fecit eum: & filij Sion exultent in Rege suo.

3 Laudent nomen eius in choro: in tympano, & psalterio psallant ei.

4 Quia beneplacitum est Domino in populo suo: & exaltabit mansuetos in salutem.

PARAPHRASIS.

1 FLectite iam veteres ad metra recẽtia cantus;
Sic libeat posthac, & cœlo, antiqua reformãs,
Laudis inauditum sacret pia turba triumphum.
Carminibus delubra sonent: 2 æqualia prodat
Lætitiæ argumenta, pari solamine fibras
Perfundens genus Isacidum, stirps alma Sionis;
Par etenim ratio: clemens assistit vtrique
Rex idem, & Factor: seruat qui fecerat illud
Conditor, hanc miti flectit moderamine Præses.
3 Apta quidem statio numeris opera alta canentes
Excipiat; fornix, templiq. cacumina fractæ
Vocis ab exemplo carmen quoq. pangere discant.
Tacta simul varios ineant psalteria motus,
Tympanaq. vndarum querulos imitata fragores.
4 Nam pietas, integra fides, animusq. cohortis
Cœlitibus placuere: sui Pater acta probauit
Seminis, & quosuis leni mitescere vultu
Viderit, ac primo confestim obstare furori,
Hos ima tellure leuans, excedere fines

5 Exultabunt sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus suis.

6 Exaltationes Dei in gutture eorum: & gladij ancipites in manibus eorum.

7 Ad faciendam vindictam in nationibus: increpationes in populis.

Aereos, astrisq. caput redimire iubebit.

5 *Ergo piorum acies, rectique frequentia*
cœtus
Exere nunc animum, clades, formidinis horror
Sint aliquando procul: torrens mercedis opimæ
Te cœli super axe manet; nam larga Tonantis
Dextra voluptati molles hic laxat habenas.
Hic viget alma quies; ingentem hic muneris
arcam
Prodigus euacuat fautor. peregrina beatis
Obrepet dulcedo fibris, & pectus anhelum
Conceptos alacri testabitur ore triumphos.

6 *Dum tamen haud vlla vacuum dulcedine*
guttur
Suauè canet, nomenq. Dei super astra locabit,
Dum pacem mens tuta bibet, minitantia cædes
Brachia nil mitis pandent: manus inclyta belli
Instrumenta geret, creperoq. armabitur ense.


7 *Tunc, hominum Censor, si quis te forsan*
inultum
Dixerit, hunc vanam leuiter fudisse loquelam
Pœniteat: vindicta frequens, varijq. tumultus
Excidij sumptæ referent vestigia pœnæ.

8 Ad alligandos Reges eorum in compedibus: & nobiles eorum in manicis ferreis.

6 Vt faciant in eis iudicium conſcriptum: gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius.



8 *Heu miseri, gentis quondam fiducia, Reges,*
Tuq. ducum soboles, & maior plebe propago,
Quid modò parietibus pendens immane tro-
phæum,
Aut falso toties Marti data victima prodest?
En velut obstrictis immobile pondus inhæret
Cruribus! en turpi laqueatas compede suras!
Quin etiam vinclis, aut curuo exesa metallo
Cogitur emeritum persoluere dextra piaclum.
9 *Vos tamen vt culpam, & scelus exitiale*
fateri
Præcipient hominum proceres, altumq. tribunal,
Iudicium lethale ferent. hac dote beatis
Arridet famulis celsi Moderator Olympi.



IN PSALMVM CL.

Inuitatio cuiuscunq. cœlestis Spiritus, quæ per hunc Psalmum proponitur, totius diuinæ Psalmodiæ est clausula.

1 LAudate Dominum in sanctis eius: laudate eum in firmamento virtutis eius.

2 Laudate eum in virtutibus eius: laudate eum secundùm multitudinem magnitudinis eius.

3 Laudate eum in sono tubæ: laudate eum in psalterio, & cythara.

4 Laudate eum in tympano, & choro: laudate eum in chordis, & organo.

5 Laudate eum in cymbalis benesonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis: omnis spiritus laudet Dominum.

PARAPHRASIS.

1 *Continuare Deo laudum incrementa fideles*
Vsq. decet famulos, cuius cœli super altis
Cardinibus miro nitet excellentia fastu,
Inq. micat Sanctis. 2 *vires, quibus integra rerū*
Subijcitur series, operumq. obtemperat ordo,
Vox canat, & nullo comprahensum limite robur.
3 *Eius ad obsequium pronas comitātia linguas*
Murmura ne desint, cytharas discrimine recto
Pulset ebur: farrago soni, clangorq. tubarum
Ictibus alternis vacuas diuerberet auras:
Tum caua dulcisonis reboent psalteria chordis.
4 *Ast vbi non tenues parient animata fragores*
Tympana, iustorum legio sit multa canendo,
Et metra Cœlitibus chorus intonet; altera quorum
Pars feriat nablum, saltantiq. organa passim
Percutiat digito: 5 *positis pars altera curis*
Multisonora leui contingat cymbala dextra.
Siderei Regnantis honor meditabilis omni est:
Quidquid adhuc vitæ spiracula ducit, & auras
Pascitur æthereas, in laudes ire Tonantis
Gestiat, ac Superum cantet præconia Regi.



IN CANTICVM
Luc. I.

In Cantico, quod Vaticinium est ad formam laudis expressum, primò pertinentia ad Redemptorem Zacharias præmittit: subdit postmodum de Filio prophætiam, eumq. futurum Domini Præcursorem denunciat.

1 BEnedictus Dominus Deus Israel: quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ.
2 Et erexit cornu salutis nobis: in domo Dauid pueri sui.
3 Sicut locutus est per os sanctorum: qui a seculo sunt, Prophætarum eius.
4 Salutem ex inimicis nostris: & de manu omnium, qui oderunt nos.



PARAPHRASIS.

1 IAm Deus Iſacidum Dominus, qui luce fideles
Criniuit populos, captiuiſq. horrida fregit
Vincula, multorum præconia ſumat ab ore.
2 Ille, vbi Ieſſæi regalia culmina Vatis,
Cœlicolis accepta domus, ſe nubibus æquant,
Erexit partæ nobis monumenta ſalutis.
3 Taliter illapſis afflata caloribus olim
Sancta cohors cecinit, mundiq. ab origine prima
Indigetum nutu cani edocuere Prophætæ.
4 Necquicquam oppoſitæ furor, atq. inſaniæ plebis,
Iudicio deſerta phalanx, gens inuida noſtras
Concuſſere fibras. odij de fonte, ſalutis
Riuulus emanat: preſſuræ ignobilis arbor
Viſa ſalutiferæ fructum peperiſſe quietis.

5 Ad faciendam miſericordiam cum Patribus noſtris: & memorari teſtamenti ſui ſancti.

6 Iuſiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum: daturum ſe nobis.

7 Vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati: ſeruiamus illi.

8 In ſanctitate, & iuſtitia coram ipſo: omnibus diebus noſtris.

9 Et tu puer Prophæta Altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.

5 *Sic Superum Regis, cui nunquam pectore fœdus*
Excidit, amplexa est veteres clementia Patres.
6 *Nec secus expositas Domino firmante loquelas,*
Perq. suum iurante caput, pater audijt Abram:
Tradere se famulis pepigit. 7 *ne fronte minaci*
Incutiat plebs dira metum, nunc cordibus ægris,
Vexatisque diu libertas reddita priscam
Conciliet pacem; quis enim nos debita post hac
Soluere Cælitibus, Numenq. reuisere forsan
Impediat? cecidere minæ: pes liber inanes
Iam laqueos temnit: manicis, & fune solutas
Iam licet innocuis ad sidera vertere palmas.
8 *Dum nos aura fouet, calido dum sanguis inundat*
Pectore, relligio, & pietas ante ora Tonantis
Sint comites iusti. 9 *te præcipit alta voluntas*
Magne Puer Domini præeuntem gressibus, olli
Obstructas aperire vias, calcandaque passu
Strata parare tuo; Præcursorisq. Prophetæ

10 Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius: in remiſſionem peccatorum eorum.

11 Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri: in quibus viſitauit nos oriens ex alto.

12 Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent: ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.



Nomen

Nomen habens 10 *populos fidei documenta supernæ,*
Delendumq. nefas, Diuumq. oracla monebis.
11 *Sic nunquam tepefactus amor, sic feruida Regis*
Indulget pietas, cuius non immemor, vt nos
Viseret, ex alto sese patefecit Olympo.
12 *Hinc vbi tellurem caliginis agmen opacat,*
Nec patet alma dies, sed funestissima circum
Stat nubes, & nox, & plurima mortis imago,
Hic tuus irradiet fulgor: lux prodita, Phœbi
Vindicet exilium; quàque extat semita pacis
Te duce tuta ferant hilares vestigia plantæ.



PARAPHRASIS EPICA IN QVINQ; PSALMOS Vespertinos, & in Canticum *Magnificat*. Luc. 1.



PRÆFATIO.



Ergite Christiadæ: non iniucunda suorum
Æthereus probat orsa Pater. ne cantica desint
Faucibus, inceptos vt quisq. absoluat honores,
En Pastor, Vatesq. idem, Iesseia proles,
Mente ferax, operosus adhuc modulabile cunctis
Illico suppeditat carmen; cum pectine chordas
Mutuat, & cytharæ fit nobis causa mouendæ.

Nunc agitè in patula coeuntibus æde, priusquam
Titan prætereat, redeant & vallibus vmbræ,
Profit inocciduo præconia texere Soli.
Gliſcitis arguto quidnam venit ore canendum
Noſſe? Tonantis honor, Patris indulgentia, cultus,
Muneris vbertas, qua nos, velut imber, inundat,
Zelus, amor, pietas ſunt noſtræ obiecta Camœnæ.
Si fruimur vita, ſi pignus, & ampla bonorum
Incrementa vigent, cœlique intermina creſcit
Gratia, nec patulos cohibent ſua flumina riuos;
Quis metro abſtineat? laudis diadema parare
Quis renuat poſthac? meritas tibi, Conditor æui,
Soluamus grates, donumq. ſciamus oportet.
Munera qui nouit, noſcendo hinc debita partim

Red-

Reddidit. hoc igitur nondum deprompta
canamus
Tempore, dum toti supereſt Sol igneus orbi,
Dum poterunt fuſas teſtari hæc lumina vo-
ces.
Sic lux prætereat, ſuperumq. in laude diur-
num
Tempus eat: lætum noſtri mulcedine cantus
Gaudeat Empyreũ, donec tibi, Delia, cedat
Inclinata dies, cum Sol decliuis ad vndas
Verget, & inuito procedet Veſper Olympo.





IN PSALMVM CIX.

Conditio Christi Domini, qui humanitate minor est Patre, diuinitate æqualis est illi; in prima Psalmi huius parte proponitur. secunda pars eiusdem Christi sacerdotium æternum, potestatem, passionem, & ascensionem describit.

1 DIxit Dominus Domino meo: sede a dextris meis.
2 Donec ponam inimicos tuos: scabellum pedum tuorum.
3 Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.
4 Tecum principium in die virtutis tuæ in

PA-



PARAPHRASIS.

1 *OElica non humili quà fulgurat orbita fastu,*
Hic mecum assideas, ingens vbi pignus honoris,
Par vbi pro veteri præbetur origine sedes:
Sic Nato Altitonans; sociis vt debita palmis
Sceptra regas, meritiq. throno potiaris Olympi.
2 *Tempus erit, quo dextra minax hostilia vertet*
Corpora, semineces q. viros, & inertia coget
Membra pauimentum victrici effingere plantæ.
3 *Tunc Patris imperiis ex culmine virga Sionis*
Prodita virtutem referet, domitaq. cohortis
Vulnus erit parti monumentum insigne triumphi.
4 *Non tamen hic lapsa vigor e vertigine manat*

ſplendoribus ſanctorum : ex vtero ante
luciferum genui te.

5 Iurauit Dominus,& non pœnitebit eum :
tu es ſacerdos in æternum ſecundùm
ordinem Melchiſedech.

6 Dominus a dextris tuis : confregit in die
iræ ſuæ reges.

7 Iudicabit in nationibus, implebit ruinas :
conquaſſabit capita in terra multorum.

8 De torrente in via bibet : propterea exal-
tabit caput.

Temporis, at primis tecum quoq. splenduit annis.
Nullus adhuc, post noctis iter, patefecerat ortus
Lucifer, æternæ soboles cum fulgida mentis
Prodiit e gremio. 5 *te nunc iubet ille ministrũ*
Ante aras Cererem, purique offere liquoris
Pocula, tum Solymi ritus absoluere Regis.
Nec sibi firma parum nutabit fortè voluntas;
Nam positæ stabunt leges, atq. omne per æuum
Cultus honos, immota fides, rata iussa manebunt.
6 *At simul Indigetũ Princeps assistere dextris*
Cœperit, & robur virtus geminata resumet,
Protinus immeritas Regum de fronte coronas
Excutiet, dandas cum suggeret vltio pœnas.
7 *Dein mala vestigans, populi teterrima lustrans*
Multorum capita alta premet; Iudexq. seuerus
Corripiet sontes, venietque implere ruinas.
8 *Cui tamen immundi latices, atque amnis inundans*
Vix poterunt sedare sitim, cui lapsus aquarum
Olim potus erit, nitidum florentibus idem
Excipiet sertum foliis, meritaque decorum
Fronde caput, viridiq. teget diademate crines.

IN PSALMVM XC.

Hic Psaltes regius Domino se benedicturũ promittit, & rationes insuper hoc suadentes adducit, vbi de sempiterna eius lege, ac de futura redemptione fit sermo.

1 Confitebor tibi Domine in toto corde meo: in consilio iustorum, & congregatione.
2 Magna opera Domini: exquisita in omnes voluntates eius.
3 Confessio, & magnificentia opus eius: & iustitia eius manet in seculum seculi.
4 Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus: escam dedit timentibus se.

PARAPHRASIS.

1 *QVà tribuum conuentus adest, lectæque cohortis*
Ora pium numerosa Dei meditantur honorem,
Quà mites coeunt animi, præstantibus illic,
Alme Parens, numeris laudum tibi serta parabo.
2 *Magna quidem, sed certè animis imperuia nostris*
Facta Dei, rectæq. gerunt rationis habenam,
Arbitrium solo dum temperat omnia nutu;
Propositiq. sequax opus est, nec fœdere rupto
Discrepat alternis librata potentia votis.
3 *Eximium quodcunque facit; quæque vsque suarum*
Gesta vigent manuum, sic magnificentia latè,
Et iustum exornant, volucres impune per annos
Vt maneant, tutèque, ac nescia temporis ictus.
4 *Rex pietate ingens, populo miseratus, vbique*
Hæc operum memoranda diu monumenta suorum
Exposuit, cunctisque Dei metuentibus altum
Consilium dedit appositis accumbere mensis.

5 Me-

5 Memor erit in ſeculum teſtamenti ſui: virtutem operum ſuorum annunciabit populo ſuo.

6 Vt det illis hæreditatem gentium: opera manuum eius veritas, & iudicium.

7 Fidelia omnia mandata eius confirmata in ſeculum ſeculi: facta in veritate, & æquitate.

8 Redemptionem miſit populo ſuo: mandauit in æternum teſtamentum ſuum.

5 *Nec noua delebunt veteres obliuia ritus,*
Et non immemori digeſtum pectore fœdus;
Vlla nec officiet reſeratæ iniuria legi.
Quin potiùs virtutis opus, magnalia, vires
Protrahet in medium, totq. hactenus agnita ſeclis
Geſtit adhuc ſeris aperire clientibus acta.
6 *Edomito ſic hoſte fruens dilecta Tonanti*
Natio captiuis potietur gentibus hæres;
Et bona non habili iampridem oblata miniſtro
Alterius meritum ditione aſſumet herili.
Tum Sator Empyrei, cuius mens inſcia falſi eſt,
Iudicium referet, propriæ ceu pignora dextræ.
7 *Clara fides, iuſtique nitor cum lumine veri*
Conuenere ſimul, perque omnia ſecla perennem
Signarunt ritum; nec tot ſatis vna fuiſſet
Conſiliis ætas: multi, ſtatuentibus illis,
Defluxere dies: qui nunc iam firmior ordo
Aſſiduos Lunæ curſus, ac tempora ridet.
8 *Vos tamen, immeritis dudum quos Raptor Auerni*
Funibus implicuit, fragili iam libera demum
Soluite colla iugo: datur exitiale Tyranni
Excutere imperium; quando alti Rector Olympi
Præceptum haud vlli delebile condidit æuo.

9 Sanctum, & terribile nomen eius: initium
ſapientiæ timor Domini.

10 Intellectus bonus omnibus facientibus
eum: laudatio eius manet in ſeculum
ſeculi.



9 *Ille hostes terrore quatit, venerabile cuius*
Circumdant semper metus, & reuerentia nomen.
Quisquis is est, dubias rerum qui tangere causas,
Atque id nosse velit, quod fert sapientia, lumen,
Haud ope mortali, neu mentis acumine fretus
Arcanum scrutetur iter; nam semper ab alto
Ingenij hac virtus, doctrinæ hac gaza petenda est.
10 *Cumque bonam pariet sobolem, fundetq. supernas*
Intellectus opes, omni tunc iugis in æuo
Fama tubis super astra feret sua gesta canoris.



IN

IN PSALMVM CXI.

Primò iustorum consolationes recenset Prophæta, quos Dominus vt in via felices per gratiam, sic per gloriam beatos reddit in patria. mox peccatorum culpas, & flagella demeritis respondentia in calce Psalmi subnectit.

1 BEatus vir, qui timet Dominum: in mandatis eius volet nimis.

2 Potens in terra erit semen eius: generatio rectorum benedicetur.

3 Gloria, & diuitiæ in domo eius: & iustitia eius manet in seculum seculi.

4 Exortum est in tenebris lumen rectis: misericors, & miserator, & iustus.


PARAPHRASIS.

1 *FElix ille quidem, cunctisq. beatior vnus,*
Numina qui metuit Superum, qui nobile Regis
Fœdus amat, Patrumque colens documenta, supernas
Non insincero rimatur pectore leges.
2 *Olli inuicta, potens, longos habitura triumphos*
Assurget proles; quàque oram lustrat Eoam
Phœbus, & extremo positos petit orbe Britannos,
Subiicient mundum propria sua pignora dextra.
Prodigus Empyrei Rector genus omne piorum
Lætitiæ torrente beat; 3 *velut aureus imber*
Fundit opes, vltroque fauoribus irrigat ædes.
Laude patrum veteri seros ornare nepotes
Gaudet, vt illæsum spatij rapientis ab vngue
Posteritas æqui videat lucere nitorem;
4 *Et quà nulla micans iaculatur lumina Titan,*
Fumus vbi, aut vehemens nebularum inuoluitur agmen,

5 Iucundus homo, qui miſeretur, & commodat diſponet ſermones ſuos in iudicio: quia in æternum non commouebitur.

6 In memoria æterna erit iuſtus: ab auditione mala non timebit.

7 Paratum cor eius ſperare in Domino, confirmatum eſt cor eius: non commouebitur, donec deſpiciat inimicos ſuos.



Hanc

Ilicet aggestas inter lux magna tenebras
Exoriens radium vincet fulgoribus Indum;
Hanc Deus & cultor pietatis, & arbiter æqui
Dat meritò splendere probis; 5 virque ille benignus
Eloquium facili disponet mente supernum,
Alterius quem sæpe viri dolor anxius vrget.
Nequicquam tacito nobiscum robore certans
Longum Solis iter, quodque atterit omnia tempus
Innocuos ab sede parant detrudere. nunquam
Omina rectorum titubant, quia marmoris instar
Æternis vtcunque vigent innixa columnis,
6 *Donec inexpleto præterlabentia motu*
Secula procedent, stabit laus inclyta iusti;
Quem neque liuor edax temere pia nomina mordens
Rictibus, & prompta maculans fuligine verum,
Nec linguæ dolus, aut tetrici mendacia vulgi
Affecere metu. 7 cœli spes iugis ouanti
Porrexit clypeum, quin & munimine certo
Fulta per ancipites rexit præcordia casus.
Hinc pugnæ finis cæso pendebit ab hoste;
Nam felix operum requies, atque exitus armis
Non nisi post palmas aderit: sors læua subactis


8 Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi: cornu eius exaltabitur in gloria.

9 Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet: desiderium peccatorum peribit.



Cre-

Crebra viris tormenta feret; post prælia donec
Publica victrici tribuatur adorea dextræ.
8 *Hic pius æra dedit, proprij tum fecit egenos*
Participes fati, spoliumque insigne perosus
Quos potuit quandoque suo contexit amictu.
Nec satis emeriti nomen telluris vbique
Fama sequax operum, memori quòd vulget in æuo;
Vlterior meta est: pernicibus acta quadrigis
Gloria siderei fastigia pulsat Olympi.
9 *At simul ac raptum superis hunc viderit astris*
Peccator, ruptaque fremet rationis habena;
Protinus occultum spumanti ex ore venenum,
Inuidia cogente, vomet; tandemque malorum
Hortatrix operum rabies, ac dira voluptas
Præcipiti Stygium lapsu properabit ad amnem.



IN PSALMVM CXII.

Exordium Psalmi innocentes pueros ad nomen Domini collaudandum inuitat. mox eiusdem nominis excellentia, & Numinis prouidentia, tamquam laudis huius rationes, adiiciuntur.

1 LAudate pueri Dominum : laudate nomen Domini.

2 Sit nomen Domini benedictum : ex hoc nunc, & vsque in seculum.

3 A solis ortu vsque ad occasum : laudabile nomen Domini.

Excelsus super omnes gentes Dominus : & super cœlos gloria eius.

PARAPHRASIS.


1 NVminis obſequio, proprij quod lege creatos
Temperat arbitrij, ſertum prætexere laudis
Veſter amor, pueri, veſtri ſit pectoris ardor.
2 Tempora nunc primùm volucri labentia motu
Æternum haud ſileant nomen: dum rurſus ab illis
Poſteritas, æuumq. ſequax præconia diſcent.
3 Quàque ſub Heſperio feſſus ruit æquore Titan,
Et quà Memnoniis idem ſe manè reuoluens
Littoribus, latè rutilantes explicat ortus,
Nominis imperium tellus canat, & ſacra Regis
Vndique luſtratum ſpatietur fama per orbem.
4 Eius enim virtutis honos, animique poteſtas
Quæ nos cunque polo meritorum inſignia tollunt,
Quoſue frequens ſtudio titulos dat mundus inani
Altiùs exuperant; patuli nec culmen Olympi
Aula capax, aut meta ſuo fuit apta decori.

5 Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat: & humilia reſpicit in cœlo, & in terra.


6 Suſcitans a terra inopem: & de ſtercore erigens pauperem.

7 Vt collocet eum cum principibus: cum principibus populi ſui.

8 Qui habitare facit ſterilem in domo: matrem filiorum lætantem.



5 *Ecquis erit, Superum forsan qui templa colentem*
Æquabit Dominum? pedibus quis tangere nubes
Audebit sociis? humiles hic pronus ad astra
Euocat, hic celsa detrudit ab arce superbos.
6 *Vos tamen o misera procul in conualle iacentes,*
Fragmine quos tenui iamdudum pauit egestas,
Tempus erit de sorde loci, torpedine victa,
Maturare fugam: læui discrimina casus
Parta salus reparet: fortunæ liuor iniquæ
Sit vestrum quandoque decus. 7 *iam dextra Tonantis*
Pro baculo sceptrum, pro campis destinat aulam.
8 *En quæ non modicis oppleuerat æthera votis,*
Multiplici nunc tuta pares cum germine plaudit
En veteres oblita metus mercede recepti
Pignoris, ac teneræ solatur origine prolis.



IN PSALMVM CXIII.

Ex contemplatione cœlestis gratiæ populo Israel exhibitæ in exitu de Ægypto, vbi plura mirabilia recoluntur, ad laudem Domini per hunc Psalmum inducimur. posthæc Dei prouidentiam exaltat Prophæta, per quam fideles cuncti benedictionis æternæ donum adipiscuntur.

1 IN exitu Israel de Ægypto: domus Iacob de populo barbaro.

2 Facta est Iudæa sanctificatio eius: Israel potestas eius.

3 Mare vidit, & fugit: Iordanis conuersus est retrorsum.

4 Montes exultauerunt vt arietes: & colles sicut agni ouium.

PA.

PARAPHRASIS.

1 *Postquam Niliacis egressa penatibus, atra*
Turba Dei sterilem fugit regionis arenã;
2 *Vos, genus Isacidum, patulo Iudaica tellus*
Excepit gremio, plures vbi missa per annos
Reddita lustratis tandem fuit hostia templis.
Non pigra tunc macies, trepidusq. per intima serpit
Corda timor: nitet ore salus; animoque renatis
Innouat elapsas Israelis gloria vires.
3 *Quos tamen vt populos pelago speculatus ab alto est,*
Constitit extemplo, strictaque Tridentifer hasta
Fertur aquas retro, fluctusque egisse tumentes.
Nec minùs interea volucrem Iordanis aquarum
Compressit lapsum, celerique reuertere cursu,
Ac notas pauloante vias iterare coegit.
4 *Tum festinatos ineuntia germina plausus*
Ceu molles duxere choros, iubiloque recepto
Ardua proceri vertère cacumina montes.
Haud secus inuiso iamdudum condita septo,

5 Quid

5 Quid eſt tibi mare, quòd fugiſti: & tu
Iordanis, quia conuerſus es retror-
ſum?

6 Montes exultaſtis ſicut arietes: & colles
ſicut agni ouium?

7 A facie Domini mota eſt terra: a facie
Dei Iacob.

8 Qui conuertit petram in ſtagna aquarum:
& rupem in fontes aquarum.

9 Non nobis Domine, non nobis: ſed no-
mini tuo da gloriam.

Ac vigilem perpessa famem, super obuia saxa
Plebs ouium diffusa ruit, quam fortè per herbas
Prouidus e stabulo veniat dimittere pastor.
5 *Te tamen, o vasti motrix natura profundi,*
Quis metus aggrediens post lubrica terga fluctes
Obsedit latices, celeresq. coercuit vndas?
Quidue fugam mandauit aquis? quaeue insita virtus,
Caetera praecipiti proverent cum flumina cursu,
Iordanis refugam dat retrocedere lympham?
6 *Vos itidem colles, & collibus addita rupes*
Cur hilares aequastis oues, plausuque vetustam
Fregistis requiem? 7 *solidis an libera claustris,*
Vt priùs & speciem dignouit, & ora Tonantis
Protinus intremuit, factaque voragine tellus
Horrisonum toto fudit super orbe fragorem?
8 *Vox etenim caeli rapido torrente feracem*
Humectans silicem, ruptis de cautibus vndam,
Ac liquidum sterili traxit de viscere germen.
9 *Quidquid ab humana bonitatis origine pendet*
Non priùs hoc laudem, vel inania reddat honori
Incrementa suo: meritum tibi, Rector Olympi,
Augendum decus, atque ingens cumulanda potestas.

10 Super

10 Super misericordia tua, & veritate tua: nequando dicant gentes; vbi est Deus eorum?

11 Deus autem noster in cœlo: omnia quæcunque voluit, fecit.

12 Simulachra gentium, argentum, & aurum: opera manuum hominum,

13 Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt.

14 Aures habent, & non audient: nares habent, & odorabunt.

10 *Sic Superũ sincerus amor, sic nescia falli*
Disposuit pietas; ne tanto incredula signo
Tristis adoratum forsan dignoscere Numen
Gens velit, atq. operum scrutetur ab ordine causã.
11 *Ast illic, rutilos pariunt vbi sidera fœtus,*
Non nisi fœcunda Rex libertate supernus
Vtitur, atque operum seriem iubet alta voluntas.
12 *Turpe genus populi falsa sub imagine*
pendens,
Immeritis audax adhibere piamina templis
Arte Deos condit; fuluoque, alboue metallo
Publica fallaci statuit simulachra coborti.
Vana quidẽ pietas! opifex dum dextra Deorũ est,
Et simulat fictos humana licentia Diuos.
13 *Nos ibi dũ sensim vocalia membra per artus*
Inspicimus, dum verba cauo scrutamur ab ore,
Fallimur: infantes reticent, nec forsitan vnquã
Frangere sperato potuere silentia motu,
Stat binum sub fronte iubar, geminata renidet
Luminis effigies; sed vanè intermicat ardor.
14 *Quàm bene compactas industria protulit*
aures,
Irrita quas pietas, studiumque effinxit inane!
Si loquor, effusas argentea forma loquelas

15 Manus

15 Manus habent, & non palpabunt, pedes
habent, & non ambulabunt: non clamabunt in gutture suo.

16 Similes illis fiant qui faciunt ea: &
omnes, qui confidunt in eis.

17 Domus Israel sperauit in Domino: adiu-
tor eorum, & protector eorum est.

18 Domus Aaron sperauit in Domino:
adiutor eorum, & protector eorum est.

19 Qui timent Dominum sperauerunt in
Domino: adiutor eorum, & protector
eorum est.

Non

Non bibit: in vacuum nitor; Zephyrosq. volantes
Associat surdo clamor delusus ab auro.
Cernit & exposito vacuas in corpore nares
Turba Deum vultrix; dumque impia thura ministrat,
Negligit immotum flagrantia munera spectrum.
In fumum sic fumus abit, rapit Eurus odorem,
Et Notus Assyriam dispergit in æthere nubem.
15 *Disparibus viden vt palmis, pedibusque Colossus*
Polleat, humanam simulans vtrinque figuram!
Nec tamen aut tactum digito, aut vestigia duris
Exercere datur plantis, quia gutture presso
Arcanæ deerunt vires, & pondus vtrumque
Sub certis natura locis immobile claudet.
16 *At faber infelix, ac fœdus imaginis auctor*
Numine sub fragili gaudens, & inania falsæ
Dans alimenta spei, socium patiatur iisdem
Excidium, liceatque pari torquerier æstu.
17 *Gens tamẽ Isacidũ, numerosa feracis Iacob*
Progenies idola procul, temnendaque Diuum
Signa fugans alto dumtaxat fidit Olympo,
Dirum exosa nefas; hanc exorabile Numen
Tutatur clypeis, certo & munimine seruat;

20 Dominus memor fuit nostri: & benedixit nobis.

21 Benedixit domui Israel: benedixit domui Aaron.

22 Benedixit omnibus, qui timent Dominum: pusillis cum maioribus.

23 Adijciat Dominus super vos: super vos, & super filios vestros.

18 *Quem ſimul inflexo proles regnantis Aaron*
Corde timet : clypeis hanc exorabile Numen
Tutatur, ſeruatque diu munimine certo.
19 *Tum populus, cui nupta metu fiducia vires*
Nutantes acuit, Superum ſit robore præſtans:
Tutatur clypeis hunc exorabile Numen,
Hunc certo ſeruat munimine. 20 *quod tamen ipſe*
Cultorum pignus memori dum pectoris arca
Ferret, & exhibitos animo celaret honores,
Muneris ætherei noſmet Deus imbre rigauit.
21 *Voſque tribus Iſraël, ac te venerabilis Aron*
Oppleuit bonitate genus, 22 *domuique timenti*
Ætheris auctorem fauſto dedit omine fungi;
Et quo Cœlicolum Rector ſolamine paruis
Arriſit famulis, vos, macti ætate, beauit.
23 *Nec viſum Domino veteris poſt fata parentis*
Claudere donorum riuos; at origo ſuperſtes
Æternas patris exuuias, ſpoliumq. perenne
Accipiet, ſerique trahent promiſſa nepotes.

24 Benedicti vos a Domino : qui fecit cœlum, & terram.

25 Cœlum cœli Domino : terram autem dedit filijs hominum.

26 Non mortui laudabunt te Domine : neque omnes, qui descendunt in infernum.

27 Sed nos, qui viuimus, benedicimus Domino : ex hoc nunc, & vsque in seculum.

24 *Insuper adiecta vos tempestate bonorum*
Regnantis nunc dextra beat, quæ culmē Olympi,
Suppositumque polo telluris condidit axem.
25 *Quippe Deus, facili postquā vi gutturis orbes*
Disposuit geminos, altæ fastigia molis
Auctori seruire suo; terramque iacentem
Imperijs hominum famulari ex æthere iussit.
26 *At tibi, summe Parens, nunquid sine flamine corpus*
Plaudat, & e muto laus prodeat ima sepulchro?
Exanimisque cohors, populus, cui sæua futuros
Arripuit Libitina dies, tua gesta reuoluent?
An sacra (turpe nefas) altum celebrantia nomen
Tartareis exire queant præconia claustris?
Quàq. diu obstrepitur, longū sonat vndiq. murmur,
Cunctaq. non tenui latè reboant vlulatu,
Carmen ibi, aut dulces resonent Deitatis honores?
27 *Gutture nos hilari, validos dū sospite fato,*
Spiritus illæsis seruabit mentibus artus,
Æternum meditamur opus; nec celsa loquentes
Numina signato cupimus de tempore metam.
Voce quidem iugi nobis super astra canēdum est:
Os plaudet, volucres carpent dum secula cursus,
Laudis & emeritum tibi proferet incrementum.



IN CANTICVM Luc. 1.

Canticum hoc, quod Beatæ Mariæ decantatio inscribitur, modum laudis principiò exponit. deinde beneficia recensendo peculiariter eidem Virgini, & communiter toti mundo collata prædictæ laudis rationem subnectit.

1 MAgnificat: anima mea Dominum.
2 Et exultauit spiritus meus: in Deo salutari meo.
3 Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.
4 Quia fecit mihi magna qui potens est: & sanctum nomen eius.

PA-



PARAPHRASIS.

1 *OBsequium Domino plenis mea vita ministrat*
Laudibus. 2 *vt Regem, cui nostræ cura salutis,*
Mens agitat secum, tacita dulcedine pectus
Gestit ouans, alacresq. bibunt præcordia motus.
3 *Is famulæ postquam cœlo scrutatus ab alto est*
Demissosq. animos, nulloque tumentia fastu
Intima, fudit opes: hinc dum labentia pergent
Secula, ventura dum crescet origine mundus
Maxima., præque aliis fortunatissima dicar.
4 *Namq. opifex rerum cui nescia limite claudi*
Subiicitur virtus, tenui qui sidera nutu
Concutit, vberius donorum aspergine tactam
Me voluit, sanctumque eius per secula nomen.

5 Et misericordia eius a progenie in progenies: timentibus eum.

6 Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui.

7 Deposuit potentes de sede: & exaltauit humiles.

8 Esurientes impleuit bonis: & diuites dimisit inanes.

9 Suscepit Israel puerum suum: recordatus misericordiæ suæ.

10 Sicut locutus est ad patres nostros: Abraham, & semini eius in secula.



5 *Illius a primis ad seros vsque clientes*
Fulsit amor, primæua cohors gens prisca Tonanti
Corde timens largo pietatis fonte rigata est.
6 *Viribus instructam, queis nil præstantius vnquam,*
Omnipotens dextram voluit, quæque arma seueræ
Aptauit manui, centum super agmina vibrans
Perdidit interno turgentia pectora flatu.
7 *Idem iustitiæ vindex ab sede potentes*
Deposuit, dudumque viris oppleta superbis
Culmina, demissis animo replenda parauit.
8 *Diuitiis exhausta domus, ludibria fati*
Passa diu, miseram tenui quæ fragmine vitam
Pauerat, astrorum nutu releuamina fessæ
Suppeditans animæ cœpit iam diues haberi.
Diuitibus contra fortunæ vberrimus amnis
Aruit, & pressis vacuata est mercibus area.
9 *Sic Rex, cui nunquam placido clementia corde*
Excidit, optatis puerum complexibus Israel
Suscepit; 10 *non ille secus tibi dixerat olim*
Abrahame Pater, vobisque in secla nepotes.

10 Super misericordia tua, & veritate tua: nequando dicant gentes; vbi est Deus eorum?

11 Deus autem noster in cœlo: omnia quæcunque voluit, fecit.

12 Simulachra gentium, argentum, & aurum: opera manuum hominum.

13 Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt.

14 Aures habent, & non audient: nares habent, & odorabunt.

10 *Sic Superũ ſincerus amor, ſic neſcia falli*
Diſpoſuit pietas; ne tanto incredula ſigno
Triſtis adoratum forſan dignoſcere Numen
Gens velit, atq. operum ſcrutetur ab ordine cauſã.
11 *Aſt illic, rutilos pariunt vbi ſidera fœtus,*
Non niſi fœcunda Rex libertate ſupernus
Vtitur, atque operum ſeriem iubet alta voluntas.
12 *Turpe genus populi falſa ſub imagine pendens,*
Immeritis audax adhibere piamina templis
Arte Deos condit; fuluoque, alboue metallo
Publica fallaci ſtatuit ſimulachra cohorti,
Vana quidẽ pietas! opifex dum dextra Deorũ eſt,
Et ſimulat fictos humana licentia Diuos,
13 *Nos ibi dũ ſenſim vocalia membra per artus*
Inſpicimus, dum verba cauo ſcrutamur ab ore,
Fallimur; infantes reticent, nec forſitan vnquã
Frangere ſperato potuere ſilentia motu,
Stat binum ſub fronte iubar, geminata renidet
Luminis effigies; ſed vanè intermicat ardor.
14 *Quàm bene compactas induſtria protulit aures,*
Irrita quas pietas, ſtudiumque effinxit inane!
Si loquor, effuſas argentea forma loquelas

15 Manus

15 Manus habent, & non palpabunt, pedes habent, & non ambulabunt: non clamabunt in gutture ſuo.

16 Similes illis fiant qui faciunt ea: & omnes, qui confidunt in eis.

17 Domus Iſrael ſperauit in Domino: adiutor eorum, & protector eorum eſt.

18 Domus Aaron ſperauit in Domino: adiutor eorum, & protector eorum eſt.

19 Qui timent Dominum ſperauerunt in Domino: adiutor eorum, & protector eorum eſt.

Non bibit: in vacuum nitor; Zephyrosq. volantes
Associat surdo clamor delusus ab auro.
Cernit & exposito vacuas in corpore nares
Turba Deum cultrix; dumque impia thura ministrat,
Negligit immotum flagrantia munera spectrum.
In fumum sic fumus abit, rapit Eurus odorem,
Et Notus Assyriam dispergit in æthere nubem.
15 *Disparibus viden vt palmis, pedibusque Colossus*
Polleat, humanam simulans vtrinque figuram!
Nec tamen aut tactum digito, aut vestigia duris
Exercere datur plantis, quia gutture presso
Arcanæ deerunt vires, & pondus vtrumque
Sub certis natura locis immobile claudet.
16 *At faber infelix, ac fœdus imaginis auctor*
Numine sub fragili gaudens, & inania falsæ
Dans alimenta spei, socium patiatur iisdem
Excidium, liceatque pari torquerier æstu.
17 *Gens tamẽ Isacidũ, numerosa feracis Iacob*
Progenies idola procul, temnendaque Diuum
Signa fugans alto dumtaxat fidit Olympo,
Dirum exosa nefas; hanc exorabile Numen
Tutatur clypeis, certo & munimine seruat;

20 Dominus memor fuit noſtri: & benedixit nobis.

21 Benedixit domui Iſrael: benedixit domui Aaron.

22 Benedixit omnibus, qui timent Dominum: puſillis cum maioribus.

23 Adijciat Dominus ſuper vos: ſuper vos, & ſuper filios veſtros.

24 Inſu-

18 *Quem simul inflexo proles regnantis Aaron*
Corde timet : clypeis hanc exorabile Numen
Tutatur, seruatque diu munimine certo.
19 *Tum populus, cui nupta metu fiducia vires*
Nutantes acuit, Superum sit robore praestans:
Tutatur clypeis hunc exorabile Numen,
Hunc certo seruat munimine. 20 *quod tamen ipse*
Cultorum pignus memori dum pectoris arca
Ferret, & exhibitos animo celaret honores,
Muneris aetherei nosmet Deus imbre rigauit.
21 *Vosque tribus Israël, ac te venerabilis Aron*
Oppleuit bonitate genus, 22 *domuique timenti*
Aetheris auctorem fausto dedit omine fungi;
Et quo Coelicolum Rector solamine paruis
Arrisit famulis, vos, macti aetate, beauit.
23 *Nec visum Domino veteris post fata parentis*
Claudere donorum riuos; at origo superstes
Aeternas patris exuuias, spoliumq. perenne
Accipiet, serique trahent promissa nepotes.

24 Benedicti vos a Domino : qui fecit cœlum, & terram.

25 Cœlum cœli Domino: terram autem dedit filijs hominum.

26 Non mortui laudabunt te Domine: neque omnes, qui descendunt in infernum.

27 Sed nos, qui viuimus, benedicimus Domino: ex hoc nunc, & vsque in seculum.

24 *Insuper adiecta vos tempestate bonorum*
Regnantis nunc dextra beat, quæ culmẽ Olympi,
Suppositumque polo telluris condidit axem.

25 *QuippeDeus, facili postquã vi gutturis orbes*
Disposuit geminos, altæ fastigia molis
Auctori seruire suo; terramque iacentem
Imperijs hominum famulari ex æthere iussit.

26 *At tibi, summe Parens, nunquid sine fla-*
mine corpus
Plaudat, & e muto laus prodeat ima sepulchro?
Exanimisque cohors, populus, cui sæua futuros
Arripuit Libitina dies, tua gesta reuoluent?
An sacra (turpe nefas) altum celebrantia nomen
Tartareis exire queant præconia claustris?
Quàq. diu obstrepitur, longũ sonat vndiq. mur-
Cunctaq. non tenui latè reboant vlulatu, (mur,
Carmen ibi, aut dulces resonent Deitatis honores?

27 *Gutture nos hilari, validos dũ, sospite fato,*
Spiritus illæsis seruabit mentibus artus,
Æternum meditamur opus; nec celsa loquentes
Numina signato cupimus de tempore metam.
Voce quidem iugi nobis super astra canẽdum est:
Os plaudet, volucres carpent dum secula cursus,
Laudis & emeritum tibi proferet incrementum.



IN CANTICVM Luc. I.

Canticum hoc, quod Beatæ Mariæ decantatio inſcribitur, modum laudis principiò exponit. deinde beneficia recenſendo peculiariter eidem Virgini, & communiter toti mundo collata prædictæ laudis rationem ſubnectit.

1 MAgnificat: anima mea Dominum.
2 Et exultauit ſpiritus meus: in Deo ſalutari meo.
3 Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.
4 Quia fecit mihi magna qui potens eſt: & ſanctum nomen eius.



PARAPHRASIS.

1 *OBſequium Domino plenis mea vita mi-*
niſtrat
Laudibus. 2 *vt Regem, cui noſtræ cura ſalutis,*
Mens agitat ſecum, tacita dulcedine pectus
Geſtit ouans, alacreſq. bibunt præcordia motus.
3 *Is famulæ poſtquam cœlo ſcrutatus ab al-*
to eſt
Demiſſoſq. animos, nulloque tumentia faſtu
Intima, fudit opes: hinc dum labentia pergent
Secula, ventura dum creſcet origine mundus
Maxima, præque aliis fortunatiſſima dicar.
4 *Namq. opifex rerum cui neſcia limite claudi*
Subiicitur virtus, tenui qui ſidera nutu
Concutit, vberius donorum aſpergine tactam
Me voluit, ſanctumque eius per ſecula nomen.

5 Et miſericordia eius a progenie in progenies: timentibus eum.


6 Fecit potentiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.

7 Depoſuit potentes de ſede: & exaltauit humiles.

8 Eſurientes impleuit bonis: & diuites dimiſit inanes.

9 Suſcepit Iſrael puerum ſuum: recordatus miſericordiæ ſuæ.


10 Sicut locutus eſt ad patres noſtros: Abraham, & ſemini eius in ſecula.



5 *Illius a primis ad seros vsque clientes*
Fulsit amor. primæua cohors gens prisca Tonantē
Corde timens largo pietatis fonte rigata est.
6 *Viribus instructam, queis nil præstantius vnquam,*
Omnipotens dextram voluit, quæque arma seueræ
Aptauit manui, centum super agmina vibrans
Perdidit interno turgentia pectora flatu.
7 *Idem iustitiæ vindex ab sede potentes*
Deposuit, dudumque viris oppleta superbis
Culmina, demissis animo replenda parauit.
8 *Diuitiis exhausta domus, ludibria fati*
Passa diu, miseram tenui quæ fragmine vitam
Pauerat, astrorum nutu releuamina fessæ
Suppeditans animæ cœpit iam diues haberi.
Diuitibus contra fortunæ vberrimus amnis
Aruit, & pressis vacuata est mercibus area.
9 *Sic Rex, cui nunquam placido clementia corde*
Excidit, optatis puerum complexibus Israel
Suscepit; 10 *non ille secus tibi dixerat olim*
Abrahame Pater, vobisque in secla nepotes.

PARAPHRASIS
EPICA
IN
QVATVOR PSALMOS
Ad Completorium, & in Canticum

Nunc dimittis. Luc. I.



PRÆFATIO.



Am radios excussa dies, redeuntibus vmbris
Clauditur, & cœli dum vertitur orbita, noctis
Imminet aduentus: pereunt famulantia Phœbo
Lumina. nunc prędis inhiat grassator, & imo
Arcens corde metus calli se credit opaco.
Nunc stimulo ventris genus exitiale ferarū
Inuadunt saltus, & frigida lustra relinquunt;
Expletur producta fames: iactura bubulci
Fit cibus impastis. pecudes leo vastat, & agros,
Ignotisque lupus populatur ouilia technis.
Impatiens nunc tæla parat peccator, & arcum
Ten-

Tendit, in obſcuro rectos vt corde ſagittet.
Dum caligo fauet, nocturni exordia curſus
Dum ſcelus omne tegunt, reduci ſpes tuta latroni eſt,
Liberiorque viget patrandi occaſio furti.
Hinc ope deſertam peregrina inſomnia mentem
Sollicitant; nunc mortis iter, nunc obuia rixæ
Panditur effigies: qui te vexauerat hoſtis
Per totam pauloante diem, ſub noctibus idem
Non intermiſſa tua pectora diſcruciat vi.
Quis tibi, mortalis, feſſo, & rationis egenti,
Membra papauereo dum nox rigat vda liquore,
Sit columen vitæ, & dubiis fiducia rebus?
En preſtò tutela, fauor: Iordanis ad amnem
Regius inuitat ſolitæ modulamine vocis
Pſalmicen: hìc fuſo rumpentibus äera queſtu
Solamen petere, auxilium ſperare licebit.
Si quatit oſſa metus, populi preſſura doloſi
Dum ſupereſt, effunde preces: Rex carmine motus

Hoſtili excidium turbæ, tibi ſcuta parabit.
Nox animum vario turpet phantaſmate: veri
Auctor adeſt, mentemque fouens, præſtigia vertit.
Membra ſopor ſquallore premat: languedo per imas
Obrepat venas: nocturna pericula morbi
Diſſipat alma ſalus, & pharmaca tuta miniſtrat.
Nunc agitè o Superos laudantia guttura, noctem
Diſparibus mulcete ſonis: laus prompta quietis
Tempora præueniat; ſic Sol, cui proxima Titan
Lumina furatur, moduli dulcedine tractus
Noctis inoccidua iaculabit luce tenebras.





IN PSALMVM IV.

In prima ex tribus partibus huius Psalmi gratias Deo rependit Psalmicen, quòd ipsum, eiusque exercitum a persecutione Saul liberarit. secundò pro iniqua pressura aduersariorum alloquutionem subnectit. ponitur tandem diuina laus, & in futuræ quietis gaudio Canticum terminatur.

1 Vm inuocarem, exaudiuit
me Deus iustitiæ meæ: in
tribulatione dilatasti mihi.
2 Miserere mei: & exaudi orationem meam.
3 Filij hominum vsquequo graui corde:
vt quid diligitis vanitatem, & quæritis
mendacium?




PARAPHRASIS.

1 *REx Superum, cœlique opifex, cui iuris, & æqui*
Arridet cultus, faciles cum nutibus aures
Obtulit, vt nimio pulsauimus æthera questu;
Quasque diu producta lues, & iniqua vaganti
Obstruxit pressura vias, dux ille relaxans
Certa per extensos rexit vestigia calles.
2 *Nunc tamen orantis miserans, præcordia iusti*
Fac, precor, haud vllo culparum incendier æstu;
Teque scelus mandante cadat; sublimia quando
Dona petens, iunctis me vertam ad sidera palmis.
3 *O mendax hominum sensus, o inscia veri*
Progenies, o turpe patrum genus antiquorum,

4 Et ſcitote, quoniam mirificauit Dominus ſanctum ſuum: Dominus exaudiet me, cum clamauero ad eum.

5 Iraſcimini, & nolite peccare: quæ diciti s in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini.

6 Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino: multi dicunt, quis oſtendit nobis bona?



Dicite

Dicite, non flexi quò pectoris vsque trahetis
Insidias, aut corde graues æquabitis alpes?
Quoue dolo fucatus amor, malesuada voluptas
Alliciunt miseros, fallax vt mentibus vmbra
Hæreat, vt falsæ quæratur imaginis error?
4 *Vos quandoque tamen stolida caligine mentis*
Præterita, visoque die fas munus Olympi
Cernere, qui sanctum fatuæ de plebis a ceruo
Altiùs exponi, solioque insidere iussit.
Cuius & Altitonans ferientes astra loquelas
Ebibet, ac memori celabit cordis in arca.
5 *At furor inflatos vbi fortè obrepet in artus,*
Sit modus: erectis ratio dominetur habenis,
Ne tumida lethale nefas oriatur ab ira.
Siqua tamen fœdæ superest ærugo medullæ,
Hanc, vbi strata manent, riguo detergite fletu.
6 *Quin fœcunda spei minuat ne semina vestræ*
Numen, vt ancipites animet fiducia vires,
Integra iustitiæ sacris cadat hostia templis.
Porrò illum, optati plenam qui muneris arcam,
Torrentes qui pãdet opum gens multa requirunt.

7 Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: dedisti lætitiam in corde meo.

8 A fructu frumenti, vini, & olei sui: multiplicati sunt.

9 In pace in idipsum: dormiam, & requiescam.

10 Quoniam tu Domine singulariter in spe: constituisti me.

7 *Alme Parens, frons nostra tuæ velut æmula lucis*
Lumina præsefert: verax nitet oris imago;
Me quoque læta nouo iuuere leuamina plausu.
8 *Gens modò, quæ pressis humorem exegit ab vuis,*
Spumantique bibax oppleuit dolia musto,
Gaudeat, & luxu ventrem soletur inani.
Altera, quæ curuo felicia iugera sulco
Proscidit, innumera flaueret vt area messe,
Quæque oleum excepit vacuo se fœnore iactent.
9 *Me tamen & studiis latè, curaque solutum*
Somnus alet, dulcesq. traham sine pondere noctes;
Nam requies hic tuta datur. 10 *nos quippe marino*
Iactatos errore diu protexit ab vndis
Omnipotens, ac tuta spei fuit anchora nostræ.



IN PSALMVM XXX.

Hic primò persecutionis suæ acerbitatem, & aduersantium fraudes Prophæta ostendit. mox diuinæ retributionis æquitas commendatur.

1 IN te Domine speraui, non confundar in æternum: in iustitia tua libera me.

2 Inclina ad me aurem tuam: accelera, vt eruas me.

3 Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij: vt saluum me facias.


4 Quoniam fortitudo mea, & refugium

PA-

PARAPHRASIS.

TE mea quàm tuto ſequitur fiducia greſſu
Rex hominum, Diuumq. Parens, mundique repertor;
Meque minas poſthac, & inania bella pauentem
Vlla dies, vllus ſeclorum haud ſentiet ordo.
Si tamen, vt Iudex, æqui ſeruare nitorem
Diceris, affer opem: 2 *queſtus, ægrique tumultum*
Pectoris aure bibens, mitis permitte rogari.
Ergo agè carpe vias, & quod te cunq. moratur
Deſtituens huc ora refer, quò perdita clarum
Corda ducem, promptæq. rogãt tutamina deſtra.
3 *Hìc patulas pugnantum acies, hìc obuia latè*
Agmina protector minuas, animoque pauenti
Tuta velis pulso componere caſtra periclo.
4 *Inſtar enim iaculi facies vt fulserit, auram*
Præſidij ſupereſſe rear: mihi prorſus inermi

Suppeditat cœlum vires, nomenque Tonantis
Vſque vocans medio incolumis deducar ab hoſte.
5 *At modò dum nobis tacito circumdata vinclo*
Strata iacent, trepidæque ſubeſt fallacia plantæ,
Hoſtis inexperto dum tendit retia cordi,
Prode dolos, occulta mone: tibi quippe gementis
Cura datur, dextra miſerum tu vindice ſeruas.
6 *Fac, rogo, cum certi ſpatium mea vita diei*
Clauſerit, hic veſtro tandem ſub numine ſiſtat
Spiritus, vt verax referat te lingua fidelem,
Aſpera iam domito qui vincula fregeris hoſte.



IN PSALMVM XC.

Tres habet partes hic Psalmus, quarum prima diuinam adesse protectionem denunciat, altera inimicis deiectionem, & tertia populis exaltationem prædicit.

1 QVi habitat in adiutorio Altissimi: in protectione Dei cœli commorabitur.

2 Dicet Domino, susceptor meus es tu, & refugium meum: Deus meus sperabo in eum.

3 Quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium: & a verbo aspero.

4 Scapulis suis obumbrabit tibi: & sub pennis eius sperabis.

PARAPHRASIS.

QVisque suæ monumenta spei, pretiumq. laboris
Astra super, sedemque locat radiantis Olympi,
Is cœli iam nactus opem, quacunque vocabit
Proxima tutantis cernet munimina dextræ.
2 *Tum versas referens acies ad sidera, palmasque*
Attollens geminas, nostræ tibi cura salutis,
Rex hominum, clamet, qui fesso, & cordis egenti
Suppeditas robur, clypeo qui territa fulcis
Membra, nec incomitem, fato extorquente, relinquis.
3 *Ille, dolos ignota mihi dum vincla pararet,*
Retiaque ancipites premerent venalia gressus,
Adfuit innocuo, rauci dicteria vulgi
Vertit in auctores, falsæ teterrima linguæ
Murmura iustitiæ confestim proscidit ictu.
4 *Quin scapulis confecta suis vmbracula demum*
Proferet; vtque animi trepidos componere motus

5 Scu-

5 Scuto circumdabit te veritas eius: non timebis a timore nocturno.

6 A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris: ab incursu, & dæmonio meridiano.

7 Cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.

Incipias, tutoque ſpei fouearis amictu,
Geſtiet alarum tentoria fingere velo.
5 *Cum tamen armorum, & pugnæ furialis Enyo*
Inſtabit miſero, longa obſidione gementi
Rex aderit verax, clypeoq. armabit inermem.
Atq. vbi nigrantes redeunt conuallibus vmbræ,
Heſperio poſtquam ſeſe obruit Oceano lux,
Haud vllo trepidare metu ſpes æqua monebit.
6 *Te petat oppoſitæ vis pernicioſa phalangis,*
Te furor inuadat: leuibus gens hoſtica telis
Euacuet pharetram; tenebris, aut lampade Solis
Freta ſagittarum populetur grandine corpus:
Nititur in vacuum: iaculis vmbone retuſis,
Nil metues vltra; nam qui fallaciter hoſtis
Aut parat inſidias, aut agmine ſæuit aperto
Robur vtrumque teret, demumque illuſus abibit.
7 *Nempe cadauereus medium te cinget aceruus*
Cædibus immunem variis, hominumque periclo;
Cumq. per arma furens longè, latèq. propinquos
Abſtulerit Libitina duces, & millia centum
Protinus erepto ſubſtrauerit agmina motu,

8 Verum

8 Verumtamen oculis tuis conſiderabis : &
retributionem peccatorum videbis .

9 Quoniam tu es Domine ſpes mea : altiſſi-
mum poſuiſti refugium tuum .

10 Non accedet ad te malum : & flagellum
non appropinquabit tabernaculo tuo .

11 Quoniam Angelis ſuis mandauit de te :
vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis .

Te

Te fera postbabito serpens premet omnia clades.
Sic nutu Indigetum, reliquis hinc inde peremptis,
Liber, & incolumis, totoque eris orbe superstes.
8 *Iacturam tamen ab summo speculatus Olympo,*
Agminis excidium, spumantia sanguine castra
Ore leges, victoque diu lætaberis hoste.
9 *Me quoque sedatum curis fiducia reddit;*
Quandoquidem spes nixa polo mihi bella gerenti
Præstò erat, ac celsis victoria prodit ab astris.
10 *Hinc vbi pressura circumfluet vndique torrens,*
Te fugiet commune malũ, domus vna manebit
Ventorumque expers, ac nescia flumine tangi.
Semper inoffenso distabit ab æthere casus:
Cœlicolum statio tuta est; nec inane flagellum
Audebit sacros vnquam temerare penates.
11 *Nam quæcunque tuo veniet sub pondere tellus*
Luminibus comitum procul obseruata manebit.
Vrgent iussa Patris: vigiles mandata facessunt
Spirituum cœtus; perque omnia strata viarum
Læua monent, lapidosa cauẽt, obstructa relaxãt.
Nulla tibi sociis incognita terra ministris

12 In manibus portabunt te: ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.


13 Super aſpidem, & baſiliſcum ambulabis: & conculcabis leonem, & draconem.

14 Quoniam in me ſperauit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.

Occurret profugo; 12 quin & tua membra vicissim
Aptabunt humeris, manibusque sedilia fingent.
Tunc vel Caucaseæ lapides, & culmina rupis,
Aut foueam tuto liceat percurrere gressu:
Impiger adstantum vigilat chorus, obuia quæq;
Præueniens, ne planta iugis offensa teratur.
13 *Nequicquam exertis gemino cum vertice collis*
Impediet saltus, ac dirùm sibila tollet
Amphisibæna biceps; frustraque soporifer aspis
Ore truci, *sæuoque furet basiliscus hiatu.*
Pes fera monstra premet linguis armata trisulcis,
Et sese huc, illuc celeri voluentia gyro.
Ipse nec aufugiet plantas draco, nec leo forsan
Sopitum cauda reuocans stimulante furorem
Subtrahet e vestro flauentia pondere terga.
14 *Me duce pugnantumque minas, & mille retundet*
Bellatorum acies; nunquam sublime vocanti
Auxilium deerunt vires, quia fretus Olympo
Alta sui meruit dignoscere nomina Regis.

15 Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.

16 Longitudine dierum replebo eum: & oſtendam illi ſalutare meum.



15 *Prompta quidem Domini, cum vocibus æthera rumpet,*
Auris erit, noſtroſq; trahent ſua guttura nutus.
Hinc, pœna ſubeunte, comes, ſuccedere Cauro
Mites præcipiam Zephyros, poſtq; horrida demum
Fulgura iam viſa lætabitur Iride cœlum.

16 *At ſibi, quot veteri rapit Eurus ab arbore frondes,*
Aut quota Niliacis erumpunt germina campis,
Tot dicam ſupereſſe dies, Pyliamque ſenectam,
Et longæua manens excedet fata Sybillæ.
Inſuper Empyrei ſedes, adituſque dehiſcens
Excipient hilarem, noſtrique in imagine vultus
Vltima præterito ſumetur adorea bello.



IN PSALMVM CXXXIII.

Breuis inuitatio seruorum Dei, ac Sacerdotum præcipuè, vt noctis tempore Domino benedicant, in hoc Psalmo, vt argumentum, proponitur.

1 ECce nunc benedicite Dominum: omnes serui Domini.
2 Quis statis in domo Domini: in atrijs domus Dei nostri.
3 In noctibus extollite manus vestras in sancta: & benedicite Dominum.
4 Benedicat te Dominus ex Sion: qui fecit cœlum & terram.
5 Gloria Patri, & Filio: & Spiritui Sancto.
6 Sicut erat in principio, & nunc, & semper: & in secula seculorum, Amen.

PA-

PARAPHRASIS.

1 *Eia agitè o Superis famulantia corda, Tonanti*
Pangite quas meruit laudes, altumq. vicissim
Cœlitibus proferte melos; 2 *vt quęque supernæ*
Cultorem fidei rutilans capit aula ministrum
Audiat egregio meditantem Numina plausu.
3 *Vos, Tartessiaco postquã sub littore pronos*
Egit Phœbus equos, rectis ad sidera palmis
Vel tenebras mulcete sono: fas noctis in vmbra
Celsa loqui, sursumque potens attollere nomen.
4 *Muneris ætherei fluuios ex monte Sionis*
Te super immittat Dominus, qui germine terrã
Gramineo, facibusque polum stellantibus ornat.
5 *Summa Trias, non nate Parens, ac Prolis origo,*
Magna Dei Soboles, & amãs, & amabile Numẽ,
6 *Quæ tibi iam fuerat, sit nunc, semperque superstes*
Gloria, laus maneat; dum nõ reuocabilis vnquã
Temporis æterno præterfluet orbita gyro.

IN CANTICVM Luc. 2.

Per Canticum hoc breuiter Domino grates rependit Simeon, quòd morti iam proximus puerum Iesum in vlnas acceperit.

1 NVnc dimittis seruum tuum Domine: secundùm verbum tuum in pace.

2 Quia viderunt oculi mei: salutare tuum.

3 Quod parasti: ante faciem omnium populorum.

4 Lumen ad reuelationem gentium: & gloriam plebis tuæ Israel.

PA-

PARAPHRASIS.

1 *EN Pater Indigetum, nec fœderis imme-*
mor vnquam
Me famulum cordis nactum pia vota, quieti
Indulgere ſinis; 2 *nam fons, & origo ſalutis*
Viſus adeſſe mihi, propero cum rapta ſtupore
Nuper inoccidnus iaculauit lumina fulgor.
3 *Hic tamen haud vni tantùm ſpeculandus*
ocello
Obiicitur: gaudent aliȷ: properare iubetur
Turba frequens, patulo qua ſeſe margine tellus
Porrigit, & medias contermina circuit vndas.
4 *Publicus effulget radius, quacunque re-*
nidens
Lux micat, & latè profugas eliminat vmbras.
Hinc genus Iſacidum, Superis accepta propago
Feſtiuos audire ſonos, monumentaque laudum
Geſtit, & emerito vectatur ad æthera curru.

F I N I S.

PSALMORVM, ET CANTICORVM INDEX.

Lau-



Vidit D. Antonius Baruchius Cler. Regul. S. Pauli in Ecclesia Metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius pro Illustrissimo, ac Reuerendissimo Domino Ioseph Musotti Vicario Capitulari.

Vidit P. F. Carolus Hyacinthus Lascaris in Conuentu Bononiensi Philosophiæ Lector pro Reuerendissimo Patre Inquisitore, & dignum Typis dari censet.

Stante suprà representata attestatione.

Imprimatur

F. Paulus Hieronymus Giacconus Inquisitor Bononiæ.

BONONIÆ, MDCLXXXVII.

Typis Hæredis Francifci Mariæ de Sartis.
Superiorum permiffu.

